

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 6619

**Auteur(s) :** Enjubaud, Tours (archevêque)

**Bénéficiaire(s) :** Saumur, Saint-Florent (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1152, 1 janvier

**Lieu d'émission :** Baugé-en-Anjou

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Déclaration faite par Enjubaud, archevêque de Tours, au duc Henri, des dommages causés par son père Geoffroi aux moines de Saint-Florent.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° XXII\*, t. 1, p. 28-30.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, Recueil des actes de Henri II, t. 1, p. 29.

Texte établi d'après a

Ego Enjobaudus, Dei gratia Turonorum archiepiscopus, presentibus venerabilibus fratribus nostris G., Cenomannensi, N., Andegavensi episcopis, in kalendis januarii, die videlicet Circumcisionis dominice, cum Aenrico, venerabili duce Normannorum et comite Andegavorum, ac curia sibi assistente, apud Balgeium convenimus, tractaturi quomodo illa, que ecclesiis ablata fuerant, restituerentur, sicut pater suus, G. scilicet Martellus, Fulconis regis Jerosolimorum filius, positus in extremis, michi et jam dicto Cenomannensi in[j]unxerat, et nos, secundum patris preceptum et voluntatem, prenominato duci, filio suo, ut patris adimpleret mandatum, instanter contestati fueramus. Cum autem apud predictum castrum Balgeium multitudo clamancium convenisset, affuit inter eos venerabilis abbas ecclesie Sancti Florencii M., cum fratribus suis, conquerens et clamans quod nundine Sancti Florentii, que ab antiquo de jure ecclesie Beati Florentii ex integro fuerant, nunc sibi et fratribus suis violenter auferrentur, asserens etiam quod, cum jam dicta ecclesia Beati Florentii cum omni integritate nundinas illas in pace possedisset, antecessores propria voluntate comitem Andegavensem consortem sibi et participem fecissent, ita scilicet ut, propter custodiam nundinarum que comiti incumbebat, redditus etiam ipsarum inter monachos et comitem per medium equali sorte dividerentur, nunc vero, tam ex voluntate comitis quam ex malicia prepositorum Salmurensium, ad hoc devenisse, ut, cum multa sibi de jam dictis redditibus retineant, monachis nullam aut parvam portionem relinquant. Dicebat etiam abbas quod, ex consuetudine, ad opus ecclesie sue boscum mortuum in Valeia tolleret, persolvendo comiti et prepositis suis consuetudines illas que in antiquis scriptis comitum Andegavensium continebantur, nunc vero talem sustinere repulsam, ut neque mortuum neque

vivum tangere auderet. Cum autem abbas et multi alii cum eo sic fuisse veraciter affirmarent, et contra non staret qui contradiceret, mediante justicia, visum est mihi et fratribus meis jam dictis episcopis, necnon prenominato duci et comiti Aenrico ac curie sibi assistenti, ut pactio illa de redditibus nundinarum, jam pridem inter monachos et comitem facta et violata, ecclesie Sancti Florentii cum omni integritate justicie reformaretur, et usque in evum sepedicti redditus nundinarum inter eos equaliter partirentur. Similiter etiam affirmavimus ut, secundum antiquam consuetudinem, suas consuetudines comiti persolvendo, boscum mortuum in Valeia ad opus ecclesie sue sufficienter acciperent. Hoc autem vidimus et audivimus et universe posteritati testamur ego et G., Cenomannensis, et N., Andegavensis episcopi.